

Sacerdos paratus cum ingreditur ad Altare, facta illi debita reverantia, signat se signo Crucis a fronte ad pestus, et clara voce dicit:

**S. In nómine Patris, † et Fílii,
et Spíritus Sancti. Amen.**

*Deinde, iunctis manibus ante pectus,
incipit Antiphonam:*

S. Introíbo ad altáre Dei.

M. Ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

Ps. 42:15

S. Iúdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta: ab hómine iníquo et dolóso érue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: quare me repulísti, et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

S. Emítte lucem tuam et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

M. Et introíbo ad altáre Dei: ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

S. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutáre vultus mei, et Deus meus.

S. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. **M.** Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sácula sæculórum. Amen.

S. Introíbo ad altáre Dei.

M. Ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

S. Adiutórium nostrum † in nómine Dómini.

M. Qui fecit cœlum et terram.

*Deinde iunctis manibus profunde inclinatus
facit Confessionem:*

S. Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Ioánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere: *(Percutit sibi pectus ter, dicens)* mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariám semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Ioánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum, Deum nostrum.

M. Misereátur tui omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. **S.** Amen.

et erigit se

M. Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Ioánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et tibi, pater: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere: *(Percutit sibi pectus ter, dicens)*

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariám semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Ioánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, pater, oráre pro me ad Dóminum, Deum nostrum.

Postea Sacerdos, iunctis manibus, facit absolutionem, dicens:

S. Misereátur vestri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. **M.** Amen.

Signat se signo Crucis, dicens:

S. Indulgéntiam, † absolutiónem et remissionem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. **M.** Amen.

Et inclinatus proseguitur:

S. Deus, tu convérsus vivificábis nos.

M. Et plebs tua lætábitur in te.

S. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

M. Et salutáre tuum da nobis.

S. Dómine, exáudi oratióne meam.

M. Et clamor meus ad te véniat.

S. Dóminus vobíscum.

M. Et cum spíritu tuo.

Deinde Sacerdos, extendens, ac iungens manus, clara voce dicit:

S. Orémus.

et ascendens ad Altare, dicit secreto:

S. Aufer a nobis, quæsumus, Dómine, iniquitátes nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum, Dóminum nostrum. Amen. * Orámus te, Dómine, per mérita Sanctorum tuórum, *(osculatur Altare)* quorum relíquiæ hic sunt, et ómnium Sanctorum: ut indulgére dignéris ómnia peccata mea. Amen.

S. Oráte, fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Minister, seu circumstantes respondent: alioquin ipsemet Sacerdos:

M. Suscípiat Dóminus sacrificium de mánibus tuis *(vel meis)* ad laudem et glóriam nominis sui, ad utilitátem quoque nostram, totiúsque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Dicto Ite, Missa est, vel Benedicámus Dómino, Sacerdos inclinat se ante medium Altaris, et manibus iunctis super illud, dicit secreto:

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ majestátis indígnus obtuli, tibi sit acceptábile, mihique et ómnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum, Dóminum nostrum. Amen.